





DISSERTATIONEM PHILOSOPHICO-MEDICAM
IN AVGVRALEM

METHODO SCIENTIFICA CONSCRIPTAM
QVA SISTITVR

VERVM VNIVERSÆ MEDI-
CINÆ PRINCIPIVM
IN STRUCTVRA CORPORIS
HYMANI MECHANICA
REPERIVNDVM

DIVINA ADSISTENTE GRATIA
JVSSV ET AVTHORITATE GRATIOSÆ

IN
ALMA FRIDERICIANA
VNIVERSITATE

FACVLTATIS MEDICÆ

PRO GRADV DOCTORIS

HONORIBVS ET PRIVILEGIIS LEGITIME CAPESSENDIS
PVBLICO ET PLACIDO EXAMINI
SVBMITTIT

ANDREAS CAROLVS GROSSE

CIBINIO-TRANSILVANVS

Ad diem Maji M D C C X X X I I.

H. L. C.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Typis IO, CHRISTIANI HULLIGERI, Acad. Typogr.

DISSECTATIONEM PHILOSOPHICAM MEDICAM
IN AVVALBAM
METHODO SCIENTIFICA CONSISTENTEM
AUCTORITATIS
UNIVERSITATIS
CIVITATIS PRINCIPALIS
IN STRVTA CORPORA
LIVIAE MICHALIA BOVITI
DIGNA ABBATIS GRATA
JURE ET AUCTORITATE GRATA
DOMINO FRIDERICO
HOFFMANNO
COMITIS PRINCIPALIS FRIDERICI I. REGIS
PRINCEPS CONSILII ET ACADEMIE PRINCEPS
HOFFMANNUS SOCIETATIS
ANDREAS VON GROSE
ALTONA
1781
HABITATIONE
ALTONA
ALTONA



CONSUMATÆ ERVDITIONIS MEDICIS
PER-ILLVSTRIBVS MAGNIFICIS
EXCELLENTISSIMIS

DNO. PIO NICOLAO
GARELLI.

REGII ORDINIS CHRISTI IN LVSITANIA EQVITI
SACRÆ CÆSARÆ ET REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS
CONSILIARIO AC PERSONÆ MEDICO
PRIMARIO.

DOMINO FRIDERICO
HOFFMANNO,

COMITI PALATINO CÆSAREO, FRIDERICI I. REGIS
PRVSSIÆ CONSILIARIO ET ARCHIATRO, ACADEMIÆ FRIDE-
RICIANÆ ET ORDINIS MEDICORVM SENIORI, SOCIETATIS
SCIENTIARVM IMPERATORIÆ CAROLINÆ NEC NON
PETROPOLITANÆ, REGIÆ BRITANNICÆ ET
PRVSSICÆ SODALI

PATRONIS
SVBMISSE OBSERVANDIS.

NEC NON

NEC NON
VIRIS
MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS

DEQVE
PATRIA OPTIME MERITIS

DN. SIMON DE BAVSSNERN,
REGIO JVDICI ET COMITI NATIONIS SAXONICÆ
TRANSILVANICAE ELECTO, CONSILIARIO CAESAREAE REGIÆ.
QVE MAJESTATIS TRANSILVANO AVLICO.

DN. MICHAËL CZECKELIO
DE ROSENFELD,
CONSVLI CIVITATIS CIBINIENSIS.

DN. JACOB SACHS
AB HARTENECK,
SEDIS JVDICI.

MÆCENATIBVS, DOMINIS
ATQVE FAVORIBVS
ADMODVM GRATIOSIS, SVBMISSO OBSEQVIO ET PER-
PETVO PIETATIS CVLTV DEVENERANDIS.

VT ET
PARENTIBVS ET AMICIS SVAVISSIMIS
EXIGVAS HAS STVDIORVM ACADEMICORVM
PRIMITIAS

D. D. D.
AVTHOR.



§. I.
Nihil prorsus est sine ratione sufficiente.
(conferatur Wolff. in Ont. §. 56.)

*Nihil sine
ratione suf-
ficiente.*

Hoc principium quod primus in Philosophiam introduxit Leibnizius, præter citatam ejus demonstrationem quam dedit Clarissimus Wolffius, ipsa experientia teste indubium est, quæ semper quæri viderimus: cur hoc vel illud factum sit? nisi enim hoc principium tanquam jam certum supponeremus; semper hoc prius nobis decidendum esset, an hoc vel illud habeat rationem sufficientem, tum quærendum quæ sit ratio! (Conferatur etiam Jac. Carpovii Diss. de principio rationis sufficientis.)

§. II.

Ex ratione sufficiente dicimur rem sufficienter concipere. Omne quod est, debet habere sui rationem sufficientem. (§. I.) Ergo omne, quod est, in se est conceptibile, & si ejus ratio sufficiens nos non fugiat, nobis se etiam conceptibile exhibet; sin vero minus, manet nobis inconceptibile. Id autem quod continet in se rationem sufficientem alterius, dicitur Principium, & quidem principium existendi,

*Nulla res est
sine princi-
pio eoque so-
lo est conce-
ptibilis.*

si contineat in se rationem sufficientem alterius existentiae, quod & causa salutatur; cognoscendi vero principium, si contineat in se rationem sufficientem, unde alterum & cognosci & concipi potest. Ergo *nulla res, quæ existit, est sine principio suæ existentiae seu sine causa.* Nec quicquid a nobis concipi aut ullo modo intelligi potest sine rei principio cognoscendi.

§. III.

Ratio instituti.

Facile patet quorsum hæc disputem. Etenim, cum ipso statim laboris titulo promittam, exhibiturum me verum in Medicina universa principium a) idque methodo scientifica, quæ est veritatis e cognoscendi ejus Principiis legitima diductio, ante omnia studendum erat, an etiam omne quod est, suum necessario requirat principium existendi, sive sui causam; denique Principium cognoscendi, ex quo disci possit, cur sit, cur ita sit? utpote quo destituti fluctuamus, cum nulla certitudo, quod medicis hic rebus eveniat, paucis: dubium est quam maxime, an certum teneant, ne dum verum principium, denique an methodo a me promissa conscribi possit. Adjicit insuper titulus; principium in structura corporis humani mechanica reperiendum, quod an ita se habeat, edoceat quod sequitur.

- a) Idem hoc Thema Vir Excell. Fr. Hoffmannus, Instaurator ille veræ, & Reformatore veteris Hippocraticæ Medicinæ Mechanicæ in erudita Diss. cui titulus: *de vero universæ medicinæ Principio*, olim solide pertractavit.

§. IV.

§. IV.

Duo aut plura, quorum unum in se continet rationem sufficientem alterius, dicuntur connexa; & quidem ratione spatii connexa sunt, si unum in se contineat rationem sufficientem cur alteri coexistat vel cum eo sit simul. Spatium enim dicimus ordinem simultaneorum vel coexistentium (Wolff. Ont. §. 589.); ratione vero temporis connexa sunt, si unum in se contineat rationem sufficientem cur alterum ei succedat. Tempus enim dicimus ordinem successivorum. (Wolff. Ont. §. 572.).

Quae dicantur connexa.

§. V.

Homo præditus est corpore (per exper.) quod si consideremus in eo deprehendimus 1) res innumeras quæ simul existunt, a) 2) res innumeras quæ sibi invicem succedunt, ita, ut cessante priore veniat aliud b). Illa *simultanea*; hæc *successiva* corporis humani dicimus. Nunc an nexum inter se habeant paucis liceat investigare.

In corpore humano sunt simultanea & successiva.

a) v. g. in Cajo reperiuntur ossa, tendines, muscoli, arteriæ, venæ, nervi, glandulæ, secretoria & excretoria organa, item varia varii generis fluida. &c. &c.

b) v. g. ex cibo chylus; ex chylo sanguis; ex sanguine nervorum fluidum, bilis, lymphæ. &c. &c.

§. VI.

Unum simultaneorum corporis humani cum altero est simul, vel eidem coexistit (§. 5.): sed nihil est sine ratione sufficiente (§. 1.). Ergo, nec sine ratione sufficiente unum simultaneorum corporis humani alteri coexistit.

Simultanea non sine ratione coexistunt.

§. VII.

§. VII.

*Quæstio: cur
coexistent?
debet sibi.*

Si ad rem sistatur quæstio; cur res sit? dici-
mus adesse rationem rei sufficientem. Cur unum
simultaneorum corporis humani cum altero sit simul
ac eidem coexistat, debet adesse ratio sufficiens (§. 6.),
*Ergo ad simultanea debet sibi quæstio, cur eorundem unum
alteri coexistat.*

§. VIII.

*Habent coe-
xistentia sua
finem.*

Omnis quæstio, res cur sit, cur ita sit? sistitur
in fine rei. Nam id ipsum, propter quod res est de-
nique ita nec aliter, dicimus finem rei. Quæstio,
cur unum simultaneorum corporis humani alteri co-
existat, debet sibi (§. 7.). Ergo sistitur in fine, quem
unum simultaneorum alteri coexistendo intendit ob-
tinere. *Ergo unum simultaneorum corporis humani habet
finem quod alteri coexistat.*

§. IX.

*Finis ille
quis sit?*

Unum simultaneorum alteri cur coexistat, habet
finem: (§. 8.) alteri coexistendo eidem certum præstat
usum cujus rationem sufficientem in se continet (per
exper.). *Ergo ille usus, quem unum simultaneorum alteri
eidem coexistendo præstat & cujus rationem sufficientem in
se continet, est ille finis, quem habet, quod alteri coexistat;
& cum in se contineat rationem sufficientem usus,
continet eandem in se quoque finis. Ergo unum
simultaneorum in se continet rationem sufficientem
cur alteri coexistat a). Ergo simultanea sunt inter se con-
nexa ratione spatii (§. 4.).*

*sunt connexa
ratione spa-
tii.*

a) v. g. Caput habet in se rationem sufficientem cur reliquo cor-
pori coexistat, pinnim ut per fluidum nerveum, quod in
cerebro ejusque corticali substantia fecernitur, reliquis par-
tibus

ibus corporis vires largiatur ad præstandos producidos-
que motus: oculus ut prospiciat corpori suo, quo noxia de-
vitet & non nisi utilia amplectatur; arteriæ ut sanguinem
a corde abducant, venæ ut reducant.

§. X.

Connexa per causas finales dicuntur, quorum
unum ob certum finem, cujus tamen in se continet
rationem sufficientem, alteri coexistit. Unum simul-
taneorum habet finem cur alteri coexistat, (§. 8.) ejus-
que rationem sufficientem in se continet (§. 9.). Ergo
simultanea etiam sunt connexa per causas finales, a)

*Et per causas
finales.*

a) v. g. Hepar & Cystis fellea sunt connexa (per exper.
Anatom.). In Cystide fellea datur causa finalis, cur
hepatis coexistat, nempe bilem in hepate secretam col-
ligere: huic cystidi felleæ annexi ductus continent in se cau-
sam finalem cur coexistant Cystidi, nimirum exceptam a Cy-
stide bilem in intestina deducendi; & porro intestina cur
coexistant ductibus, ut bile per eosdem recepta, pro chylo
attenuando, oleosa cum aqueis miscendo, intestina stimu-
lando, denique acidum chyli ex parte immutando, utantur.

§. XI.

Demonstrato simultaneorum corporis huma-
ni nexu, ratione spacii & causarum finalium, videam-
us, an corporis humani successiva, nexu, & denique
quo gaudeant?

*An corporis
humani suc-
cessiva sint
connexa.*

§. XII.

Quodcumque potest esse aliter, id dicitur con-
tingens. Ad sunt in corpore humano successiva,
quæ possunt esse aliter v. g. circulus sanguinis mode-
ratus subinde abit in immoderatum (per exper.). Er-
go successiva corporis humani sunt contingentia. Ve-
rum omne contingens debet habere sui causam ef-
ficientem (Wolfii Ont. §. 907.), Ergo omne etiam
B

*Successiva
debent habe-
re sui causam
efficientem.*

succel-

successivum corporis humani habeat sui causam efficientem necessarium est.

§. XIII.

*Successiva
sunt connexa
ratione tem-
poris & per
causas effici-
entes.*

Deprehendimus per experientiam, quod corporis humani successivum quoddam prius A in se contineat rationem sufficientem, cur posterius B sequatur. a) Debent autem successiva habere sui causam efficientem (§. 12. & 2.). Ergo successiva corporis humani ita sunt comparata, ut semper unum sit alterius causa efficiens. *Ergo successiva corporis humani sunt connexa ratione temporis (§. 4.) & per causas efficientes.* Nam connexa per causas efficientes ea dicimus, quæ ita comparata, ut unum semper alterius sit causa.

- a) v. g. Ductibus minimis & fibris per nimiam senectam inducta durities, quæ esto A, in se continet rationem sufficientem cur mors ut successivum B sequatur.

§. XIV.

*Corpus ho-
minis constat
ex partibus
inter se con-
nexis.*

Ens, quod e pluribus simul sumtis constitui-
tur, id dicimus constare ex partibus. Corpus hu-
manum constituitur e simultaneis & successivis; (§. 5.)
quæ simul sumta sunt plura (per exper.). Ergo cor-
pus hominis constat ex partibus. Denique simulta-
nea & successiva corporis humani sunt inter se con-
nexa (§. 10. 13.). *Ergo corpus hominis constat ex partibus
inter se connexis.*

§. XV.

*Corpus ho-
minis est ens
compositum.*

Ens quod constat ex partibus inter se connexis
dicimus ens compositum. Corpus hominis constat
ex partibus iisque inter se connexis (§. 14.). *Ergo cor-
pus hominis est ens compositum.*

§. XVI.

§. XVI.

Ens compositum gaudet extensione, (Wolf. Ont. §. 619.) magnitudine, (Wolf. Ont. §. 624. 625.) figura, (Wolf. Ont. §. 623.) eaque mutabili, (Wolf. Ont. §. 634.), spatio (Wolf. Ont. germ. §. 72.) motu totius & partium (Wolf. Ont. §. 640.). Cum igitur corpus hominis fit ens compositum; (§. 15.) ipsum etiam gaudet extensione, magnitudine, figura eaque mutabili, spatio, motu totius & partium.

Corpus hominis gaudet extensione, magnitudine, figura &c.

§. XVII.

Primus rei conceptus, ex quo reliquorum omnium quæ rei insunt vel inesse possunt ratio redditur sufficiens, dicitur Essentia rei. Modus possibilitatis cuiuslibet entis in genere est primus ejus conceptus, siquidem sine modo possibilitatis non est ens, (per princ. contradict.) ex eoque reliquorum omnium, quæ enti insunt vel inesse possunt, redditur ratio, siquidem ex impossibili reddi nequit, cum ex nihilo nihil fiat (Wolf. Ont. §. 67. 68.). Ergo modus possibilitatis in ente est essentia.

Essentia entis in genere consistit in modo possibilitatis.

§. XVIII.

Ens compositum debet habere certum compositionis modum (per pr. contradict.). In illo consistit modus possibilitatis entis compositi; quippe ens compositum sine partium inter se connexionem non est possibile: (§. 15.) sed in modo possibilitatis consistit entis Essentia (§. 17.). Ergo entis compositi essentia consistit in ejus compositionis modo. Cum itaque corpus hominis fit ens compositum; (§. 15.) sequitur quod *ejus essentia consistat in modo compositionis*, qui ex diversitate partium & earum combinatione æstimandus est.

In specie entis compositi in modo compositionis.

§. XIX!

*Essentia est
& structura
ejus.*

Modum compositionis in composito dicimus ejus structuram. Corpus hominis est ens compositum: (§.15.) & in ejus modo compositionis consistit ejus essentia (§.18.). Ergo *Essentia corporis humani consistit in ejus structura.*

§. XX.

*Corpus hu-
manum gau-
det actione
totius & par-
tium.*

Loci mutationem dicimus motum. Corpus hominis gaudet motu totius & partium (§.16.). Ergo corpus hominis valet committere loci mutationem in toto & partibus, cujus mutationis rationem in se sufficientem ut mutato continet: (per exper.) sed mutatio, quæ rationem sui habet in illo quod mutatur, dicitur actio. Ergo *corpus hominis gaudet actione totius & partium.*

§. XXI.

*Vi attrice &
metricæ.*

Omnis actio supponit conatum agendi: (per experien.) quem conatum agendi vocamus vim. Corpus humanum gaudet actione totius & partium (§.20.) Ergo *corpus humanum gaudet vi attrice: & cum nulla fiat corporis humani ut & partium actio sine aliorum corporum commotione; (per exper.) possidet quoque vim motricem in toto & partibus.*

§. XXII.

*Item vi in-
ertia.*

Illud, quo ens compositum motui resistit, dicimus vim inertiam. Non per quamlibet vim ens quodvis compositum movetur (per exper.). Ergo adest in composito aliquid quod motui resistit imprimendo; donec resistentia a vi majore imprimente superetur. Ergo adest in composito vis inertia. Et cum corpus humanum sit ens compositum,
(§.15.)

(§. 15.) tuto sequitur, quod ipsum etiam teneat vim inertie.

§. XXIII.

Corpus humanum gaudet vi motrice (§. 21.) ut & vi inertiae (§. 22.) Solet autem utraque vis in conflictu corporum secundum certas modificari regulas (per exper.) quas dicimus regulas motus. *In corpore humano, cum in eodem reperiuntur successiva, quorum uno cessante venit aliud (§. 5.), obtinent regulæ motus.* Ergo in corpore humano obtinent regulæ motus.

§. XXIV.

In corpore humano obtinent regulæ motus (§. 23.) quarum liceat, supponendo reliquas, aliquot præcipuas enarrare. *Regule motus præcipue quæ?*

- 1) Corpus in motu constitutum motum continuat, donec a causa externa vel vi centripeda impediatur. (per princ. Rat. suffic. §. 1.)
- 2) Corpus motum eandem directionem & celeritatem retinet, donec non a causa externa vel vi centripeda mutatur. (per Rat. suffic. §. 1.)
- 3) Corpus nequit moveri, nisi per causam externam, quia in se spectatum versus omnes plagas æquali nisu tendit (per Rat. suff. §. 1.) adeoque quiescit.
- 4) Omne corpus actum reagit, hoc est, pressum reprimat (per exper.)
- 5) In ictu partes utriusque corporis debent comprimi. (per exper. & pr. Contradict.)
- 6) Si corpus duplici vi urgetur in aliud simpla præditum; motus sequitur directionem fortioris seu majoris (per exper.)

§. XXV.

Certa mutabilium in ente determinatio, dicitur ejus status. In corpore humano reperiuntur successi- *Corpus humanum gaudet statu an-*

recedente & consequente. cessiva, quorum uno cessante venit alterum, (§. 5.) quæ sunt illa contingentia (§. 12.). Ergo sunt etiam mutabilia. Eorum quodvis v.g. successivum A, quod antecedit, aliter determinatum est successivo B, quod consequitur: (per pr. indiscer.). Ergo quodvis successivorum alium agnoscit sui statum. *Ergo in successivis corporis humani obtinet status antecedens & consequens;* & cum successiva sint connexa per causas efficientes; (§. 13.) idem & de eorundem Antecedenti & Consequenti statu dicendum.

§. XXVI.

In ejus structura fundantur ejus mutationes.

Quicquid enti competit, id vel in Essentia entis sola habet rationem sufficientem sui, nempe & qua possibilitatem & existentiam, vel una extra eandem; ita ut qua possibilitatem quidem in Essentia fundatum sit, sed qua existentiam aliud quid requirat (Wolf. Ont. §. 149. 150.). Essentia corporis humani consistit in modo compositionis (§. 18.) sive ejus structura (§. 19.). Ergo in corpore humano quicquid evenit, id rationem sui sufficientem habet aut fundatum est in eius modo compositionis seu structura sola & qua possibilitatem & qua existentiam, vel qua possibilitatem tantum, ita, ut qua existentiam causa adhuc eidem contigua requiratur. Eveniunt autem in corpore humano innumeræ mutationes seu operationes: nam uno successivorum cessante venit alterum. (§. 5.) *Ergo istæ mutationes seu operationes successivorum fundantur in corporis humani structura, vel qua possibilitatem & existentiam simul, vel tantum qua possibilitatem, ut qua existentiam aliud adhuc requiratur.*

§. XXVII.

§. XXVII.

Eandem hanc propositionem, quod nimirum mutationes quæ in corpore humano accidunt, in modo compositionis sive structura sint fundatæ, ita ut ex eodem eorundem ratio sufficiens reddi possit, a posteriori probamus, ita concludendo: *Item demonstratur.*

Ex quocunque sequitur mutatio in corpore humano ut effectus, ex illo ratio ejus dari potest, adeoque in eodem fundatur. (per pr. Contrad.)

Sed ex structura seu compositionis modo corporis humani sequuntur mutationes ut effectus.

Ergo ratio mutationum ex illa dari potest, hoc est, mutationes in structura fundantur.

Minor probatur:

Quo demto demitur effectus, ex illo sequitur effectus. (per pr, rat. suffici §. 1.)

Sed structura corporis humani demta, demuntur ejus mutationes (per exper.)

Ergo ex structura ejus sequuntur.

Quod minor propositio experientia doceatur, patet ex exemplis singularibus. Ad sunt in corpore humano venæ ut sanguinem per arterias a corde abductum reducant, quas si tollas, subinde debitas in corpore humano operationes præsertim secretiones esse cessuras est certissimum. *Manet ergo, operationes seu mutationes corporis humani esse fundatas in ejus modo compositionis sive structura.*

§. XXVIII.

Ens compositum, cujus operationes sive mutationes in modo compositionis seu ejus structura, secundum statum antecedentem & regulas motus sunt fun- *Corpus hominis est machina.*



fundatæ, dicitur machina. Corpus hominis est ens compositum; (§. 15.) ejus operationes seu mutationes fundantur in ejus structura sive modo compositionis (§. 26. 27.) secundum statum Antecedentem (§. 25.) & regulas motus (§. 23.). Ergo corpus hominis est MACHINA.

§. XXIX.

*Machina
Hydraulica.*

Machina cujus operationes sive mutationes in ejus modo compositionis seu structura ductuosa & canaliculosa solido-fluida fundantur, dicitur machina Hydraulica. Corpus hominis est machina (§. 28.) ejus structura est ductuosa & canaliculoso-solido-fluida (per exper. Anat. & vulg.); Ergo ejus mutationes in tali structura fundantur, Ergo Corpus hominis est Machina HYDRAULICA.

§. XXX.

*In corpore
humano ob-
tinet mecha-
nismus.*

Fundatio phaenomenorum entis in ejus structura secundum statum antecedentem & regulas motus dicitur Mechanismus. Et quidem perfectus & universalis, si nullum prorsus phaenomenon alias requirat sui causas. Operationes seu mutationes Corporis humani, quæ sunt ejus phaenomena, fundantur in ejus structura secundum statum antecedentem & regulas motus (§. 26. 27. 25. & 23.). Ergo in corpore humano obtinet mechanismus. An vero perfectus & universalis, ita, ut nulla plane sit obvia mutatio, quæ non in structura Corporis humani fundata sit, est quod sumus modo investigaturi.

§. XXXI.

*Homo habet
animam.*

Homo cogitat: (per exper.) sed corpus ne subtile quidem cogitare potest. (Wolf. in Metaph. germ.

§. 739.)

§. 739.) nec eidem a Deo potest cogitatio tribui. (Wolf. Metaph. germ. §. 741.) Ergo aliud ens essentiam hominis ingreditur quod cogitat. Et cum soli spiritui cogitare sit proprium; (Wolf. Metaph. germ. 896.) spiritum id esse sequitur, quem ab aliis discernendi causa vocamus animam. *Ergo homo non corpus modo (§. 5.) sed & animam possidet.* Hæc, utrum animam plurimum in corpore humano mutationum seu phænomenorum existat causa efficiens, atque ita ejus mechanismum multorum judicio imperfectum a) & particularem efficiat, animæ adfectiones & ejus cum corpore modis genuinis consistendi edoceant solide.

a) Vocula imperfectus, heic nullo alio capiatur sensu nisi oppositio perfecti mechanisimi quem definivimus (§. 30.)

§. XXXII.

Ens quod ex partibus non constat dicitur simplex. *) Anima hominis, negato quod sit corpus & adfirmato quod sit spiritus, (§. 31.) expertem esse partium concedatur, necessum est. *Ergo anima hominis est ens simplex.* Ergo caret magnitudine, extensione, figura, motu intestino, nec spatium replet. (Wolf. Ont. §. 683.)

Anima est ens simplex Et. Et.

*) Hanc entis simplicis Definitionem videas fuscè defensam a Chr. Wolfio in Ont. §. 673.

§. XXXIII.

Tactus sit mediantibus partibus: (per exp.) anima hominis est ens simplex (§. 32.) adeoque caret partibus. (§. 32.) *Ergo anima hominis nequit tangi. Ergo ens agere nec quoddam ens in illam naturaliter agere potest. Et vi naturaliter,* ce versa, nec animæ in aliud ens agendi naturaliter

Anima nequit in aliud ens agere naturaliter.

C

con-

concessa est facultas. Etenim omnis actio naturalis fit mediante contactu (per exper.). Fuere adfectiones, sequitur animæ consistendi cum corpore modus.

§. XXXIV.

Datur animam inter & corpus commercium.

Mutuuum inter duo vel plura ita consensum, ut amice sibi invicem respondeant, dicimus commercium. Adfunt in homine duo, corpus (§. 5.) & anima; (§. 31.) quibus est mutuus ita consensus, ut amice invicem sibi respondeant. Nam facta mutatione in organo sensorio ab objecto externo, statim in anima oritur repræsentatio de eodem, & talis quidem, qualis mutationi illi conveniens est; & vice versa, liberas animæ volitiones sequitur statim motus conveniens in corpore dum modo organum motus se recte habeat (per exper.). *Ergo inter animam & corpus in homine datur commercium*, cujus modum non omnes eundem explicant viri docti: quis vero genuinus fit dispiciamus.

§. XXXV.

Systema influxus Physici quid? rejicitur.

Modus omnium antiquissimus commercium animæ cum corpore ita explicandi, ut facta ab objecto externo mutatione & motu in corpore, corpus metum animæ per contactum Physicum imprimat ideas; & subortis in anima volitionibus, ipsa anima motum imprimat corpori ad motus hos nec alios voluntarios edendos, dicitur *Systema influxus Physici*. Verum cum nullum ens in animam agere possit, nec animæ in aliud ens naturaliter agendi concessa sit facultas, (§. 33.) *corrumpit Systema dictum.*

§. XXXVI.

Systema bar-

Alter modus, qui commercium ita explicat, quod

quod 1) omnis sensatio in anima per vim ejus repræsentativam ex præcedentibus repræsentationibus, a deoque naturaliter oriatur; 2) Omnis motus corporis ex ejus structura & vi, motibusque præcedentibus trahat originem; 3) Consensus factarum autem mutationum in corpore, & repræsentationum in anima fit a Deo ita ordinatus, dicitur *Systema Harmoniæ a Deo ita coordinata.*

*monia a Deo
ita coordi-
nata.*

§. XXXVII.

Est hoc Systema possibile 1) quoad animam, quia habet vim repræsentativam universi, pro situ corporis sui organici in universo (Wolf. Metaph. germ. §. 753.) 2) Quoad corpus, (per omnipotentiam Dei). 3) Quoad consensum utriusque (per omniscientiam & Dei omnipotentiam). Hæc de Systematis possibilitate: autem etiam sit, jam jam docebitur.

*Hoc Systema
est possibile.*

§. XXXVIII.

Modo tertius explicandi commercium, ita, ut facta ab objecto externa mutatione in corpore, Deus immediate convenientem repræsentationem producat in anima; & suborta volitione in anima Deus immediate convenientem motum imprimat corpori, dicitur *Systema causarum occasionalium.* Cum autem omnem eventum a Deo immediate præstitum in universo dicamus miraculum, stante hoc systemate, omnia animæ cogitata, omnesque corporis motus sunt miracula a Deo præstita.

*Systema cau-
sarum occa-
sionalium.*

§. XXXIX.

Deus eventum in universo præstare nequit per miraculum, si is naturaliter possit obtineri: (Wolf. Metaph.

*Hoc Systema
est impossi-
bile.*

Metaph. germ. §. 1041.) sed omnis cogitatio animæ & quisquis corporis motus naturaliter obtineri potest (§. 37.). Ergo non possunt a Deo præstari per miraculum; Ergo evanescit Systema causarum occasionalium.

§. XL.

Systema harmoniæ a Deo ita coordinatæ est verum Systema,

Pendet itaque commercium animam inter & corpus, aut a mutuo in se invicem influxu, quod est Systema influxus Physici, aut ab actione Dei, eaque vel immediata, quod est Systema causarum occasionalium, vel mediata, quod est Systema Harmoniæ a Deo ita coordinatæ. Sed cadit Systema influxus Physici; (§. 35.) evanescit causarum occasionalium (§. 39.). Harmoniæ a Deo ita coordinatæ systema ut possibile remanet (§. 37.) nec aliud possibile cogitari potest: (per exper.) debet alterum e tribus habere locum cum existat commercium, (§. 34.) cuius est modus interpretandus. Ergo Systema Harmoniæ a Deo ita coordinatæ est verum Systema, traditque genuinum animam inter & corpus modum commercii. a)

a) Heic nobis sermo est de Systemate Harmoniæ a Deo ita coordinatæ animam inter & corpus, quatenus anima ideas recipit, non autem de moralitate eius.

§. XLI.

Animam inter & corpus datur nexus.

Duorum vel plurium ad se invicem respectus, vi cuius unum continet in se rationem sufficientem alterius, dicitur nexus. Animam inter & corpus datur talis ad se invicem respectus, vi cuius, ratio sufficiens representationis in anima, est in corpore, & ratio sufficiens motus in corpore, est in anima (per exper.). Ergo animam inter & corpus datur nexus.

§. XLII.

§. XLII.

Hunc nexum, si is ita se habeat, ut corpus non quidem per veram actionem representationem imprimat animæ, sed anima eandem producat per vim propriam ex representationibus præcedentibus; hanc tamen nec aliam representationem quod ita requirat harmonia cum corpore; & pariter anima non quidem vera operatione motum imprimat corpori, verum eundem corpus propria vi ex motibus antecedentibus producat, hunc tamen nec motum alium, quod ita requirat harmonia cum hac anima, dicimus *exigitivum*. Sin vero res fiat per veram actionem animæ in corpus & corporis in animam, *nexum effectivum*. Sed ita se habet nexus animam inter & corpus, ut quodvis propria utatur vi, ita tamen nec aliter, ob stantem inter se harmoniam (§. 36. 40.). Ergo *animam inter & corpus nexus est non effectivus sed exigitivus*.

Nexus non effectivus sed exigitivus.

§. XLIII.

Habitis animæ adfectionibus, & demonstrato ejus genuino cum corpore commercio, an aliqua corporis humani operationes, actiones sive mutationes ab anima ad instar effectus pendeant, sine ullis ambagibus scire licet. Omnes corporis humani actiones seu mutationes sunt vel ita comparatæ, ut anima ipsarum sibi immediate conscia non sit *a*), vel ita, ut sit *b*) (per exper.). Illas vitales, has animales seu voluntarias dicimus. Requirit sui causam efficientem, (§. 12.) sed animam inter & corpus datur nexus non effectivus, sed exigitivus (§. 42.). Ergo *anima non est causa efficiens ullarum corporis humani operationum, actionum*

Anima nullarum mutationum existit causa efficiens.

num seu mutationum, nec vitalium nec animalium sive a voluntate ipsius animæ pendentium.

- a) Quales sunt circulatio sanguinis & fluidorum reliquorum corporis humani, item secretiones. &c. &c.
 b) Quales sunt, si scribas, legas, incedas. &c. &c.

§. XLIV.

*Quod ipsam
attinet, per-
fectus in cor-
pore humano
obinet me-
chanismus.*

Corporis humani operationes sive mutatio- nes fundantur in ejus structura, vel qua possibilitatem & existentiam simul, vel qua possibilitatem tantum, ut qua existentiam aliud quid ad sui causam efficien- tem requirant: (§. 26.) anima hominis in ejus corpore nullam operationum aut mutationum nec vitalium nec animalium, existit causa efficiens (§. 43.). Ergo quod animam attinet, possunt omnes corporis hu- mani operationes seu mutationes fundari in ejus stru- ctura & qua possibilitatem & qua existentiam simul. Ergo quod animam attinet, in corpore humano obinet mecha- nismus perfectus & universalis (§. 30.).

§. XLV.

*Quod tamen
aerem atti-
net & ali-
menta, non
obinet.*

Remota anima, videamus an alia quædam cau- sa efficiens quorundam corporis humani operatio- num seu mutationum existat. Per experientiam e- docemur firmam & solidam existentiam corporis hu- mani viventis multum dependere ab aère coexisten- te & contiguo, a) bono vel pravo alimento, & potu b). Concludimus igitur, quod mutationes corporis hu- mani eidem contiguarum causarum effectus, in stru- ctura ejus non fundentur qua possibilitatem & exi- stentiam simul, ast tantum qua possibilitatem, nimi- rum multæ existentiam in aère & alimentis habent. Ergo

non obtinet in corpore humano perfectus & universalis mechanismus (S. 30.).

a) Nam is solus est, qui ætherea elastica & subtilissima substantia motum sanguinis & humorum intestinum, spiritus-ascendens, caloris, roboris & motus fibrarum authorem, tuetur atque conservat. Is est solus, qui externo suo pondere expandit pulmones & sanguinis circuitum per eos ex uno ventriculo cordis in alterum celebrat. Is solus est, qui externe incumbens corpori nostro transpirationem moderatam, fibras & membranas in tono conservat & æquilibrium, nimiam expansionem liquidorum internam moderatur, temperat, & ita placidum, æquabilem, moderatum circuitum humorum, debitamque fibrarum systolen atque diastolen efficit. Vnde facile patet, quanta ejus necessitas sit ad vitam sanam, & quanta potentia ipsi etiam insit conturbandi motus habituales atque naturales. Nec diutius nos heic detinebimus explicando, at remittimus benevolam lectorem plura desiderantem ad Epidemicas, Endemias constitutiones, ad historias morborum ex mutatione tempestatum & temporum provenientium, ubi sine dubio certo certius nostri asserti veritas confirmabitur.

b) Nam cum caduca sint fluxaque vitæ nostræ principia, & singulis momentis decedat & elabatur quædam nostri portio, necessario & invalida redderentur corpora & dissiparentur tandem atque conciderent, nisi Numinis Divini providentia alimentum ut & potum, tanquam præsens quoddam exhaustarum partium supplementum, dedisset. Cibo enim, quicquid succosi & nutritii evanuit, restitimus, potione quicquid humidioris, reparamus. Neque etiam quantam vim cibus & potus in corpus nostrum exerat, præsertim immoderatus, & intemperatus diu usurpatus, pagano est ignotum. Plura capiens legat Excell. Dni D. Fr. Hoffmanni Patroni mei summi *Pathologiam rationalem* inque
ea Partis tertiæ Caput 2. de morborum origine, ex copia
E. vj.

Et vitio ingestorum Caput 3. De alimentis intemperatis
Cap. 4. De noxa potus spirituosi vel nimis pauci &c.

§. XLVI.

Obtinet tamen, quatenus mutationes in corpore humano fundantur qua possibilitatem.

Cum tamen mutationes corporis humani aëris & alimenti effectus, si non qua existentiam, tamen in corporis humani structura mechanica qua possibilitatem fundentur, (§. 26. 28.) hoc est, ut in corporis humani machina non aliter sint possibiles quam mechanice; a) manet hoc respectu perfectus Et universalis mechanismus corporis humani.

a) v. g. Miasma illud pestilentielle acreum, quod partim sulphurea putridæ multiplicativæ instar fermenti, partim subtilis valde acris & causticæ alcalinæ plus quam acidæ naturæ est, cum aere haustum, salivali fermentescibili latici se se insinuat, ibique statim fauces invadit cum dolore vehementi, eosque cum lingua sanguinolentos reddit, mox caput, cerebrum, nervos & purissimum illud lymphaticum nervorum fluidum petens, capitis torporem, gravitatem, somnolentiam & acerbum dolorem, sensuum stuporem, rerum omnium oblivionem, inquietudinem, vigilias ac virium prostrationem inducit. Per fauces ad ventriculum vectum, ciborum fastidium, nauseam, vomendi conatum nec non ipsum vomitum, & per consensum nervorum, præcordiorum anxietatem & cardialgiam syncopiticam facit. Dein per vasa chyliifera ad sanguinem delatum omnia inflammat, horrorem, pulsum languidum, parvum, contractum & frequentem producit &c. &c.

§. XLVII.

Et quatenus machina corporis hu-

Idem ita demonstramus: totus mundus est machina: (Wolf. Cosm. (73.) corpus humanum pars mundi, (per exper.) quæque machina existit (§. 28.)

Ergo

Ergo corpus hominis spectari potest modo duplici: *mani est pars*
ut machina, item ut pars machinæ universalis *machinæ u-*
mundanæ. Quatenus autem ipsum corpus humanum est *niversalis*
machina, omnes ejus mutationes possunt ex illius *mundanæ.*
structura explicari, cum ibidem fundentur (§. 26.).
Quatenus vero est pars machinæ totius mundi, fieri
potest, ut quædam mutationes in ipso corpore huma-
no obvenientes sui rationem extra corpus humanum
inveniant. a) Attamen mechanice cum in machina
universali mundana fundentur (per exper.). *Ergo etiam*
eatenus perfectus & universalis in corpore humano mecha-
nismus potest defendi.

a) v. g. De solis in corpora humana effectu & virtute minus
quis dubitaverit, quanto clarius hæc ipsa ex anni tempo-
ribus, veris n. p. æstatis, autumnæ & hiemis, item diei &
noctis differentia manifestatur. Ita Vere: Infantia, Comi-
tialis morbus, sanguinis fluxiones, Angina, Gravedines
Raucedines, Tussis, Lepræ, Impetigines, Pustulæ ulcerosæ,
tubercula, morbi articulares grassantur, Teste ipso adhuc
olim Hippocrate Sect. III. Aphorismorum. Aphor. 19.
Æstate febres continuæ & ardentes, Tertianæ, Vomitus,
Alvi profluvia, Aurium dolores, Oris exulcerationes, Ge-
nitalium putredines adoriuntur. Testis est Hippocr. Sect.
III. Aphor. Aphor. 21. Autumnæ febres quartanæ, aquæ
inter cutim, tabes, stillicidia urinæ, difficultates intesti-
norum, coxendicum dolores, angina, asthmata &c. ve-
xant, confer. Hippocr. Sect. III. Aphor. Aphor. 22. Hie-
me morbi pulmonum, inflamatio, pleuriides, gravedines,
russes, raucedines, dolores capitis, vertiginæ, & Apople-
xiæ vigent. Vide Hippocr. Sect. III. Aphor. Aphor. 23.
Constat porro experientia, sub ortu solis febres Synochas,
circa meridiem tertianas adoriri, circa pomeridianum tem-

D

pus

pus quartanæ, & vesperi catarrhales solennem paroxysmum exerunt, capiuntque incrementum. Quod etiam tenendum de defluxionibus, doloribus gravativis, & tumoribus, quæ circa vespertinum maxime tempus exacerbantur. De Lunæ ut & reliquorum Planetarum eorumque invicem aspectu, brevitatis ergo plura recensere, quas exferant mutationes in corpore humano morbosque gignant & curent, non licet. At, plura desiderantem mittimus ad Germaniæ Hippocratem nostrum per totum orbem Celeberrimum, Do. Fr. Hoffmannum, qui in erudita Diss. de Astrorum influxu, solide egit: item ad observationes Astro-nomico-Medicæ Andrea Valsæ. &c.

§. XLVIII.

*Machina
corporis hu-
mani non est
perpetuum,
mobile.*

Machinam, in qua obtinet perfectus & universalis mechanismus, ita, ut singulæ in ipsa obviæ mutationes fundentur in ejus structura, secundum statum antecedentem & regulas motus, & qua possibilitatem & qua existentiam simul, dicimus perpetuum mobile *a*). Corpus hominis est quidem machina, (§. 28.) verum non gaudet tali perfecto & universali mechanismo (§. 45.). Ergo machina corporis humani non est perpetuum mobile.

a) Hæc definitio mobilis perpetui cum vulgari eadem est, qua id describitur: quod sit alterna productio causæ effectus & effectus causæ. Nam ponamus machinam, in qua nec plures nec pauciores mutationes seu operationes obtingunt quam septem A. B. C. D. E. F. G, subinde clarum est, si omnes hæ operationes fundentur in structura machinæ, tum per A. produci B. & sic in serie etiam G. ut effectum, & ab hoc effectu produci A. sui causam.

§. XLIX.

*Mechanif-
mus corporis*

Quicquid in omnibus, quæ de eo cogitari possunt,

sunt, est vel non est, id dicimus omnimode determinatum. In ente existente omnia, quæ de ipso cogitari possunt, vel sunt vel non sunt (per princip. Contrad.). Ergo omne existens est omnimode determinatum. *Ergo mechanismus corporis humani existens, (§. 30.) est omnimode determinatus.*

humani est omnimode determinatus.

§. L.

Cum nihil est sine ratione sufficiente, (§. 1.) mechanismus autem in corpore humano fit omnimode determinatus, (§. 49.) debet adesse ratio sufficiens, cur mechanismus corporis humani determinatus sit ita nec aliter. Sed ratio sufficiens cujusvis rei cur sit, ita, nec aliter, est finis rei (§. 8.). *Ergo mechanismus corporis humani quod sit determinatus, ita nec aliter, debet adesse certus finis per eundem obtinendus.*

Idque ob certum finem.

§. LI.

Quisquis finis per media non nisi adæquate determinata obtinetur: (per pr. rationis suff. §. 1.) mechanismus corporis humani determinatus est ita nec aliter ob certum per eundem obtinendum finem (§. 50.). *Ergo mechanismus corporis humani debet esse determinatus ita nec aliter adæquate ad obtinendum illum finem, hoc est debent omnes ejus partes ita esse determinatæ, ut singulæ tendant sive consentiant ad comunem illum finem obtinendum.*

Determinatus adæquate ad obtinendum finem.

§. LII.

Consensus omnium partium in ente sive tendentia ad comune aliquod præstandum dicitur perfectio, & id, in quo consentiunt, sive ad quod præstandum tendunt, principium perfectionis. Mechanismus corporis humani in suis partibus debet ita esse de-

Debet esse perfectus & sine suo gaudet perfectionis principio.

terminatus, ut singulæ Partes consentiant seu tendant ad comunem mechanisimi finem obtinendum seu præstandum (§. 51.). *Ergo mechanisimus corporis humani debet esse perfectus & suo fine gaudet perfectionis principio. a)*

- a) Finis seu perfectionis principium humani corporis aliud non est nisi sanitas, qua infrastructa corporis inter & animam harmonia persistit.

§. LIII.

Determinatur per corporis humani structuram ad statum antecedentem & regulas motus.

Cum omnis causa una eademque absolute talis nequeat diversos effectus producere, (per pr. Rat. suff. §. 1.) sequitur quod effectum suum determinet, ut sit hic, nec alius. Omnis mutatio corporis humani fundatur in ejus structura secundum statum antecedentem & regulas motus (§. 26. & 23. seq.). Ergo structura corporis humani, secundum statum antecedentem & regulas motus, mutationes in se obvias determinat, ut sint hæc, nec aliæ. Verum hanc fundamentum mutationum in structura corporis humani secundum statum antecedentem & regulas motus, diximus mechanisimum. (§. 30.). *Ergo mechanisimus corporis humani per structuram secundum statum antecedentem & regulas motus determinatur.*

§. LIV.

Structura & mechanisimus eundem finem & principium perfectionis tenent.

Mechanisimus corporis humani, ob certum finem quo gaudet perfectionis principio, (§. 52.) obtinendum, ut sit adæquate determinatus necessum est: (§. 51.) determinatur autem per structuram corporis humani (§. 53.). *Ergo corporis humani structura & ex ipsa resultans mechanisimus eundem tenent finem idemque perfectionis principium.*

§. LV.

§. LV.

Principium quo mechanismus corporis humani determinatur, dicimus ejus naturam. In corpore humano obtinet mechanismus, (§. 30.) eundem determinat corporis humani structura secundum statum antecedentem & regulas motus, (§. 53.) hoc est structura mechanica (§. 28.) Ergo structura corporis humani mechanica est ejus natura.

Corporis humani natura est ejus structura mechanica.

§. LXVI.

Structura corporis humani potest esse aliter (per exper.). Ergo mutabilis. Ipsa determinat corporis humani mechanimum (§. 53.). Ergo ipse etiam mechanismus est mutabilis. (per princip. rat. suff. §. 1.) Cum itaque certam mutabilium in ente determinationem dixerimus ejus statum; (§. 25.) certa structura corporis humani & per eandem mechanismi determinatio est corporis humani status. Et quidem si structura corporis humani & per eandem corporis humani mechanismi determinatio cum eorundem fine & perfectionis principio, (§. 54.) existat harmonica, status corporis humani naturalis, sin vero disharmonica, præternaturalis audit. a)

Quis corporis humani status naturalis & præternaturalis.

a) Intellecto sine & perfectionis principio mechanismi corporis humani, (§. 52.) facile intelligitur: quis corporis humani naturalis, quis præternaturalis sit status? prior est, si in corpore humano obtinet sanitas & per eandem inconcussa animæ harmonia; posterior, si sanitas & sic harmonia laboret.

§. LVII.

Cum autem structura corporis humani atque

Nunquam obtinent in

corpore hu-
mano simul
sed alterna-
tim.

ex eadem determinate resultans mechanismus vel cum proprio perfectionis principio conspirant, vel vero minus, nec datur tertium, (per experientiam); duplex tantum corporis humani status est possibilis nimirum naturalis vel præternaturalis (§. 56.). Cum etiam duo status sibi contradictione oppositi in eodem subiecto simul stare nequeant, (per pr. Contradict.) hi duo status in homine non simul sed alternatim sunt possibiles: cumque eos constituentur structuræ atque ex illa resultantis mechanismi contraria determinatio, ipsa etiam structura & mechanismus vel naturalis vel præternaturalis est.

§. LVIII.

Omnes in
corpore hu-
mano muta-
tiones sunt
vel natura-
les, vel præ-
ternaturales

Cum itaque mechanismus corporis humani vel naturalis vel præternaturalis existit, hoc est, vel cum fine & perfectionis principio totius corporis conspirat, vel vero minus: (§. 57.) eundem vero mutationes corporis humani efficiant; (§. 30.) ipsæ etiam vel naturales vel præternaturales existunt. Sunt autem vel vitales vel animales omnes (§. 43.). Ergo & vitales & animales corporis humani mutationes sunt vel naturales vel præternaturales.

§. LIX.

Earundem
tota series
est inter se
connexa, se-
que statu An-
tecedente &
consequente
excipit.

Successiva corporis humani sive ejus mutationes diximus esse inter se connexas per causas efficientes, hoc est, unam alterius esse causam efficientem, (§. 13.) easdem mutationes gaudere statu antecedente & consequente ibidem inter se ita connexo, ut antecedens causa consequentis existat. (§. 25.) Discedunt autem in naturales & præternaturales, (§. 58.)

Ergo

Ergo stante Logicorum Canone : quod valet de genere valet & de specie , mutationes corporis humani cum naturales tum præternaturales sunt inter se connexæ per causas efficientes, seque statu antecedenti & consequenti connexo excipiunt. Omnes vero mutationes simul sumtas, eorundem seriem dicimus. *Tota igitur series mutationum vel naturalium a) vel præternaturalium b) est inter se connexa per causas efficientes, gaudetque statu antecedente & consequente connexo.*

a) e. g. in statu naturali vel sano , ubi ventriculus recte se habet, is bonum assumptum alimentum bene digerit , bilis bona eandem bene subtilizat, corrigit , bene digestus & correctus cibus bonum chylum , bonus chylus bonum sanguinem , bonus sanguis bonum lympham nutritiam , fluidumque nerveum largitur, sicque corpus sanum conservat.

b) e. g. ubi bilis male se habet & primæ viæ acido nimium sunt obsessæ , ibi chylus indigestus, crudus, semi-acidus & minime temperatus evadit ; ubi chylus crudus semi-acidus & minus temperatus , ibi talem sanguinem gignit ; ubi sanguis crudus semi acidus & minus temperatus, ibi particula sulphuræ spirituosæ in sanguine præcipitantur & coagulantur ; ubi coagulatio sanguinis adest, ibi exoriri obstructions viscerum possunt ; ubi obstructions viscerum exoriuntur , ibi Anasarca, Cachexia, Ascites, Tympanitis & ipsa Mors generari potest.

§. LX.

Omnes mutationes corporis humani vel naturales, vel præternaturales, cum sint inter se con-

*Quævis
tamen &
naturalium
& præ-*

*ternaturalium
seorsim
Et sola con-
nectitur.*

nexæ per causas efficientes, gaudeantque statu antecedente & consequente connexo: (§. 59.) eadem autem causa contrarios effectus nequeat producere (vi pr. contradict. & pr. rationis suff. §. 1.); sequitur quod mutatio naturalis non possit esse causa & naturalis & præternaturalis effectus, sed naturalis tantum; denique gradu retrogrado, mutatio præternaturalis considerata ut effectus non pendeat a causa naturali mutatione, nec effectus naturalis mutatio descendat a causa præternaturali mutatione. Ergo omnis mutatio naturalis naturalem, præternaturalis vero præternaturalem sui causam desiderat. Cum etiam dixerimus totam mutationum seriem & naturalium & præternaturalium inter se connexam per causas efficientes existere, (§. 59.) ita intelligendum est: *seriem mutationum naturalium seorsim Et solam, præternaturalium itidem, esse connexam*, non vero commixtim.

§. LXI.

*Et naturalis
Et præterna-
turalis sunt
hypotheti-
ce necessa-
ria.*

Cujus oppositum posito altero nequit esse, id dicitur hypothetice necessarium: (Wolf. Ont. §. 302.) sed omnis mutatio corporis humani sive naturalis, sive præternaturalis, est talis, ut oppositum ejus posita ejus causa esse nequeat, siquidem posita causa mutatione naturali præternaturalis mutatio effectus, & posita causa mutatione præternaturali naturalis mutatio ut effectus nequit existeret (§. 60.) Ergo *omnis corporis humani mutatio, sit naturalis, sit præternaturalis, est hypothetice necessaria.* Quatenus hæc necessitas hypothetica fundatur in structura corporis humani

*Quæ ex necessitate mechanica se-
qui dicantur*

mani mechanica, (§. 28.) mechanismum corporis humani seu ejusdem mutationes determinante, (§. 53.) dicitur necessitas corporis humani mechanica & omnes mutationes ex necessitate mechanica sequi dicuntur.

§. LXII.

Cum tota series mutationum & naturalium & præternaturalium sit inter se connexa per causas efficientes, (§. 59.) nec mutatio naturalis præternaturalem aut præternaturalis naturalem possit producere (§. 60.), sequitur, quod irrupente in corpus humanum vel una mutatione notabili præternaturali omnes subsequentes mutationes ut ejus effectus præternaturales evadant & brevi tempore tota naturalium series pervertatur, adeoque totum corpus humanum statum præternaturalem induat, & vice versa, reducta mutatione naturali omnes proxime in naturales revertantur. a)

Vna notabilis præternaturalis totam naturalem seriem pervertit; & naturalis una totam seriem corrigit.

- a) v. g. Quod si spasmus eam partem intestinorum occupet, ubi admittunt ductus, Cysticum n.p. & Hepaticum, tum bilis non poterit in ipsa effundi, at regurgitans ad sanguinem icterum gignit. Sanguis biliosus ad quascunque partes advectus ardorem excitat, ardor sitim provocat, ad caput delatus dolores & vertiginem creat; ad summam cutem perductus, eandem flavo tingit colore. Vbi autem jam spasmus ille per medicamenta sedatur & bili via hætenus oclusa rursus recluditur, icterus remittit, sanguis non redditur amplius impurus, per consequens neque ardorem nec sitim provocat, capitis dolores & vertigo remittunt, cutis naturalem rursus brevi induit habitum.

E

§. LXIII.

§. LXIII.

*Transitus ad
machinam
corporis hu-
mani quate-
nus est hy-
draulica.*

Hactenus enarratæ atque demonstratæ corpo-
ris humani adfectiones habent locum, quatenus cor-
pus hominis machinam esse docuimus, (§. 28.) sunt
etiam generales machinarum adfectiones; (per ex-
per.) nunc *paucis adponamus quæ specialius obtingunt,*
quatenus ipsum corpus humanum machina existit Hydraulica. (§. 29.)

§. LXIV.

*Corpus hu-
manum ma-
china quate-
nus est hy-
draulica, et-
iam genera-
les mechani-
cas patitur.*

Posteaquam supra demonstravimus corpus ho-
minis non modo in genere esse machinam, verum
etiam in specie hydraulicam; secundum Logicos au-
tem de specie valeat omne id, quod valet de gene-
re, sciendum est quod *corpus hominis omnia ea quæ de*
ipso ut machina adstruximus, sibi etiam ut machina Hy-
draulica vindicet. Ita missis nunc omnibus ceteris
corporis humani statum sui vel naturalem vel præ-
ternaturalem, (§. 56. 57.) patiatur etiam quatenus est
machina Hydraulica, quod constat ex structura so-
lido-fluida (§. 29.). Ergo ipsa corporis humani so-
lida ut & fluida gaudent statu vel naturali, vel præ-
ternaturali, & omnis in utrisque eveniens mutatio
vel naturalis vel præternaturalis est.

§. LXV.

*Sic mutatio-
nes solidor-
um præter-
naturales
fluidorum
naturales, &*

Dum omnes corporis humani mutationes &
naturales & præternaturales inter se connectantur
per causas efficientes, (§. 59.) obtinent autem qua-
tenus corpus hominis est machina Hydraulica, parti-
tim in solidis ductuosis & canaliculosis, partim in
fluidis; (§. 64.) sequitur mutationes solidorum sive
natu-

naturales five præternaturales influere in mutationes *vice versa*
fluidorum, & vice versa mutationes fluidorum in *permutare*
solidorum per causas efficientes. Hinc cum muta- *possunt.*

tio naturalis præternaturalem & præternaturalis nat-
uralem nequeat producere, (§. 60.) *exortæ in solidis*
præternaturales notabiles pervertiere naturales fluidorum,
a) *Et vice versa præternaturales notabiles fluidorum immu-*
tare naturales solidorum possunt. b)

a) v. g. Tubulosa & cribrosa cutis substantia, e cujus spiraculis copiosissimi tetri vapores exhalant, spasmus, vel a frigore improvide admissio, vel per consensum ob affectas interiores partes, uti fit in febribus & doloribus, patiente, excrementitiæ illæ salino-sulphuræ putridæ sordes in corpus resorptæ, aut febres catarrhales, coryzam ac tussim cient, aut ad intestinorum tunicas delatæ, & bile acriori reddita diarrheas cum torminibus concitant; aut ad renes & urinarios ductus appulsæ, copiosorem urinæ fluxum efficiunt.

b) v. g. Causa mediata febris Catharralis benignæ est serum seu lymphæ acris caustica in tunicis glandulosis subsistens. Hæc causatur in solidis: cutis inhorrescentiam, extremorum, imprimis pedum & plantarum refrigerationem, alvi siccitatem, sitim, difficilem deglutitionem, stimulum laryngis, sternutationem, pulsum celerem auctum, tussim violentam. &c. &c.

§. LXVI.

Experientia docet subortas in corpore humano mutationes præternaturales tam solidarum quam fluidarum partium sæpe tolli & eliminari, in earumque locum succedere naturales sine admotis remediis,

E 2

*Mutationes
præternatu-
rales tam so-
lidorum
quam fluido-
rum sæpe tol-
luntur sine
remediis cu-*

jus phænomeni ratio indagatur. diis, in cujus rationes & causam phænomeni paucis inquiramus.

§. LXVII.

Ratio ista est in structura corporis humani mechanica.

Sit altera corporis humani mutatio naturalis A, altera præternaturalis B. Fundantur omnes corporis humani mutationes seu operationes tam naturales quam præternaturales in structura ejus mechanica (§. 47. 58.). Ergo utraque mutatio *A. & B. fundantur in corporis humani structura mechanica.* Sæpius per se evanescit mutatio corporis humani præternaturalis B, & in ejus locum succedit naturalis A, (per exper.). Ergo vi structuræ corporis humani mechanica per se evanescit B, in ejusque locum succedit A. Sed mutatio præternaturalis naturalem, aut naturalis præternaturalem nequit producere (§. 60.). Ergo mutatio præternaturalis B, non evanescit vi naturalis & succedentis mutationis A. Evanescit tamen sæpius (per exper.). Ergo mutatio præternaturalis corporis humani evanescit per aliam sui generis præternaturalem.

§. LXVIII.

Sive corporis humani natura. Termini natura corrigitur, vel seipsam corrigit, explicantur.

Structura corporis humani mechanica est ejus natura: (§. 55.) per structuram mechanicam eliminantur tam solidorum quam fluidorum mutationes præternaturales (§. 67.). Ergo natura corporis humani tollit & eliminat tam solidorum quam fluidorum mutationes præternaturales. Et cum præternaturali mutatione adhuc durante ipsa etiam structura præternaturalis existat, (§. 57.) nunc autem

tem naturalem seriem mutationum introducendo præternaturalem expellat vel sola, vel etiam additis remediis, *naturam priori sensu se ipsam juvasse seu correxisse, posteriori sensu ab extra correctam dicimus.*

§. LXIX.

Modum autem qui & quomodo ipsa natura corporis humani mechanica possit præternaturales ejus mutationes tam in solidis quam fluidis etiam non auxiliata tollere, generalius docent doctrinæ mechanico-hydraulicæ item regulæ motus, quæ in corpore humano obtinent, (§. 23.) specialius, quod earundem individualem in Corpore humano applicationem attinet, doctrina Anatomica, quo studiofi brevitatis lectorem ablegamus, in sola fundata thesi aquiescentes.

Modum correctionis naturæ specialius alibi v. g. in mechanicis & anatomicis queratur.

§. LXX.

Seriem mutationum tam solidarum quam fluidarum partium corporis humani simultaneam præternaturalem, quam ipsa corporis humani natura eliminari nequit, dicimus MORBVM, & pro gradu mutationum, vel graviolem vel leviolem. Et solida & fluida patiuntur mutationes præternaturales, (§. 64.) solidorum mutationes influunt in fluidorum, & horum mutationes in solidorum præternaturales (§. 65.). Ergo possibilis est in corpore humano series mutationum solidorum & fluidorum simultanea præternaturalis. Nec semper eandem natura valet expellere (§. 68.). Ergo in corpore

Quid morbus, quando gravior, quando levior?

pore humano etiam morbus est possibilis & actu sæpe existit, (per exper.) & cum mutationes diverso se maxime gradu exferant, vel gravior vel levior.

§. LXXI.

*Omnis selet
in Corporis
humani ma-
teria.*

Extensum corporis humani dicimus ejus materiem. Solida & fluida corporis humani sunt extensa (per exper.). Ergo sunt corporis humani materies. Ergo corporis humani materies conficit ejus structuram mechanico-hydraulicam (§. 64.). Quatenus autem morbus, (§. 70.) in structura fundatur atque sua ducit primordia, (§. 28.) eundem in structura sedere dicimus. Ergo omnis morbus sedet in corporis humani materia. Cum etiam omnes mutationes præternaturales a structura naturali ut sui causa nequeant produci: (§. 60.) structuram autem præternaturalem dicamus vitium materiæ; *omnis morbus pendet ex vitio materiæ.*

§. LXXII.

*In specie
quis morbus
dicatur vi-
tium motus.*

Diximus supra, fluidorum perennem motum determinari per solida ductuosa & canaliculosa. (§. 64.) Si itaque morbus pendeat a vitio materiæ solidæ, adeoque ille motus fluidorum naturalis præternaturalis evadat, specialiori respectu morbum vitium motus, sin vero tantum in fluidis sedeat, vitium materiæ generaliori tantum respectu, dicimus. Qui mos loquendi est Excell. Dni. Fr. Hoffmanni Patroni & Præceptoris mei ad cineres uf-
que

que devenerandi, Medici omnium Celeberrimi, in sua
Therapia rationali p. 463.

§. LXXIII.

Laborante materia solida, ejusdem motus aut
in universo corpore aut certa tantum parte nimium *Quinam morbi mate-
ria solida.*
intensus aut nimium iminutus deprehenditur (per
exper.) Prius *Spasmus*, posterius *Atonia* dicitur. Er-
go morbus qui pendet ex vitio motus solidorum,
(§. 72.) est vel spasmoticus, vel Atonicus; ille se-
dantibus, hic roborantibus tollitur.

Quid roborantia & sedantia medicamenta sint & quotuplicia,
vide fusius in *Therapia Rationali Excell. Fr. Hoffmanni p.*
521. seqq.

§. LXXIV.

Quod materiem corporis humani fluidam *Quinam*
attinet, illa peccat aut *qualitate*, aut *quantitate*: (per *fluida.*
exper.) illa Alterantibus, hæc Evacuantibus elimi-
natur.

Quid alterantia & evacuantia medicamenta sint & quotuplicia,
pluribus videatur *Therapia Exc. Fr. Hoffmanni p. 465. seqq.*

§. LXXV.

Res, cujus viribus natura corporis humani ad *De medica-
mentis quod
mechanice
agant.*
sanitatem dirigi potest, medicamentum dicitur.
Quodvis ergo Medicamentum alterando mutat cor-
poris humani naturam. Sed omnis mutatio funda-
tur in structura corporis humani mechanica, (§. 28.)
si non qua possibilitatem & existentiam simul, tamen
qua possibilitatem, (§. 26.) hoc est, in corpore hu-
mano

mano non sunt aliter possibiles nisi mechanicæ. Ergo medicamentum mutat structuram seu naturam corporis mechanicæ. *Ergo medicamentum in dirigendo morbosam corporis humani naturam ad sanitatem vires exercet mechanicas.*

§. LXXVI.

Quid Medicina & Medicinæ principium.

Scientia, corporis humani naturam sanam conservandi, morbosam restituendi, dicitur *Medicina*. Quod continet in se rationem sufficientem, cur corpus hominis aut sanum aut morbosum sit, dicitur *Medicinæ principium*. Sed omnis morbus sedet in structura corporis humani Mechanica, hoc est, ipsa continet in se rationem ejus sufficientem. (§. 71.) Ergo continet in se etiam rationem sanitatis corporis humani, *Ergo structura mechanica corporis humani est verum Medicinæ Principium.*

(§. 3.)

T A N T V M.

Errores.

P. 5. lin. 2. adde & pr. §. 70. p. 9. lin. 21. lege *spatii* non *spacii*. p. 9. lin. ult. lege §. 908. loco 907. p. 11. lin. 3. §. 622. & 623. p. 11. lin. 5. §. 667. loco 640.



CLARISSIMO NEG NON DOCTISSIMO

DN. D. GROSSE

S. P. D.

FR. HOFFMANNVS.

VNum. precipue est, quod Philosopho & Medico scitu admodum necessarium observamus, sine cujus cognitione non possunt confusiones atque errores in scientia tam naturali quam Medica evitari. Est autem illud, discrimen actionum, quae mechanice & quae moraliter fiunt. Existimamus nempe insignem humanam sapientiam in eo versari, ut rerum creaturarum inter se actiones & passiones atq; exinde resultantes effectus probe animadvertantur. Quando itaque inter duo in se agentia unum est libera & indifferens virtutis, ut, quamvis ab alio ad motum determinetur, ipsi tamen liberum sit, an motum sibi inti-

F


ma-

matum continuare vel recusare velit : tunc actio
hæc pertinet ad moralia. Quodsi autem unum inter
duo agentia , motum ab alio receptum pro lubitu re-
cusare nequit , sed illum ipsum continuat & in alia
harmonice transfert ; actio hæc , physica , necessa-
ria & mechanica haberi debet. Hisce commodissime
tam diu a doctis quesitam differentiam corporis &
spiritus absolvi posse judicamus : qua cognita , longe
facilius jam in hominis , qui genuinum sapientiæ di-
vine & humanæ , medicæ etiam objectum est , essentiæ
penetrare poterimus. Inter omnis vero generis res
a DEO creatas & productas homo id habet plane pe-
culiare : quod ex duplici valde differente substan-
tia , spiritu nempe libere agente , qui analogam cum
angelis habet naturam , & qui anima rationalis sive
spiritualis , vel mens immortalis ad imaginem Divinam
condita , appellatur ; atque ex corpore vivo , motibus
instructo , physico , divisibili , corruptibili , actiones &
effectus producente necessarios , compositus sit , atque inti-
me hæc invicem unita sint. Vbi probe annotandum venit ,
quod distinctæ illæ spiritus & corporis naturæ , earumq;
proprietas , actiones & effectus minime inter se misceri
aut confundi , sed probe distinguere debeant , nisi in inex-
tricabiles errores & controversas incidere velimus.
Nam , quod homo vivat sive ejus corpus a corruptione
per motus vindicetur , quod se propagare sive sui simi-
lem

lem producere possit, quod ad certos subtilissime impressos motus sive ideas determinate reagat, quod sensationis nomine venit; id minime ab ejus parte spirituali, sed substantia mere corporea simplicissima subtilissimeque indolis ac motionis, quae spirituum animalium vulgari nomine venit, dependet. Ad haec rectius & magis dilucide capienda, corporis humani mechanismum optime distingui posse in paulo rudiorum & subtiliorem ego quidem existimo; ille in structura, quae in sensus incurrit, & quae varie modificat motus ac fines determinat, & in artefactis etiam conspicitur, atque in homine aequae ac animantibus, vitæ, sanitatis, morborum, mortis causa & auctor est, consistit; hic vero paulo subtilior motibus identidem perficitur, & a peculiari a DEO coordinata, in cerebri nervorum & sensoriorum consistente dispositione atque fluido simplicissimo agilissimo ibi residente, actu mere physico & necessitate involvente proficiscitur: ad quem mechanismum longe sublimiorem vis propagativa seminalis, actus phantasiæ & ab hac dependentes ordinati & turbativi motus in partibus nervosis, qui vulgo animæ adscribuntur, referendi sunt. Neque vero hoc loco prætereunda erit actio animæ spiritualis in corpus animale & maxime per fluidum illud cerebri & nervorum æthereum in corpus humanum, certis tamen limitibus, regulis ac legibus a sapientissimo creatore constitutis

definita: licet modus influendi nobis sit, ut multa alia
in rerum natura; incomprehensibilis, ut adeo etiam non
opus habeamus, ad certas præstabilis harmonias, quæ
per se & sine mutuo influxu agant, effingere, utpote,
quibus positis, intricatissimæ inde difficultates & contro-
versæ litigiosæ vix ullo modo solubiles exsurgunt. Ex
quibus omnibus probe & exquisite consideratis & pen-
siculatis, Medicum, genuinum & sobrium Philosophum
agere debere clarius elucescit. Tu Clarissime Do-
mine DOCTOR! Tuo id doces exemplo: & Tua per-
erudita Dissertatio, quam sine ullo meo adiutorio con-
fecisti & cum applausu defendisti, Te ingenium ad stu-
dia philosophica natum possidere, abunde demonstrat.
Neque vero tantum in Philosophicis perstitisti, sed ul-
terius plane eximios progressus in Arte servandorum
hominum fecisti. Per tres continuos annos assiduus
& genuinus noster fuisti discipulus, atque ex illo tem-
pore multis documentis ingenii Tui bonitatem & ani-
mum discendi perquam cupidum præclarisque studiis
idoneum exhibuisti. Quare id Tua generosa industria
consecutus es, ut profectus in Medicina tam theoretica
quam practica feceris eximios nec unquam pœnitendos:
nihil enim intermisisti illorum, quæ ex oculatiori
anatomia, pulcherrimo physico & chymico experimenta-
li studio accessionem ipsis poterant fœnerare, & quæ tin-
gere atque ulterius excolere fœcundissimum Tuum in-
geni-

genium apta erant. Gratulor itaque ex animo promeritos honores. DEVS ulterius successus Tuos prospere, & clementissime efficiat, ut fortuna Tuis meritis non modo respondeat, sed & patria Tua fructus inde in miseros agrotantes redundaturos repetat uberimos. Vale & iter Tuum felicissime perage. Dabam
Hala Salicæ, e Museo a. d. XI. m. Maji
M DCC XXXII.



NOBILIS-

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE
DN. ANDREAE CAROLO
GROSSE

PRO SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS
ADIPISCENDIS

EGREGIE DISPVNTI

EX ANIMO GRATVLATVS EST

MARTINVS SCHMEIZEL.

Sac. Reg. Maj. Prussicae Consiliarius Aulicus, ut & Juris Publici ac Histor.
Profess. Publ. Ordinarius.

Q*ui studiorum solertia, morum probitatem vi-
taeque innocentiam jungit, atque sic boni
Academici partes tuetur; merito is & elo-
gia & virtutis ac diligentiae testimonia
impetrat. Quo nomine non possum non, quin impen-
se mihi gratuler, TE etiam Nobilissime Doctissime-
que Dom. GROSSE, ex illorum gentis nostrae filio-
rum*

rum esse numero, quos in Regiam hanc Academiam
delatus, tam strenue musis litare perdidici, ut alius ad
exemplum nominari queant debite & ex merito; iis
praesertim, qui parum de aetatis volubilitate, de pa-
triae, deque reddenda tandem vilicationis suae ratione
fuere solliciti. Cum igitur TV. rectiorem proinde in-
gressus sis viam, insuper tempus omnium rerum pre-
tiosissimum cum aetate florentissima, optime & laudabi-
liter collocaveris, quia imo industriae hujus & profe-
ctuum egregium publico specimen non solum exhibue-
ris; verum etiam in publica panegyri fortiter defende-
ris, verbis, crede, vix effari potis sum, animi mei gau-
dium & letitiam, quam praesens ego, de TE optimo
meo civae, apud me intus perceperim. Vt igitur pu-
blicum hujus animi mei extaret documentum, has ego
ad TE exaro lineolas, amoris & affectus in TE mei
interpretes. Gratulor itaque TIBI de absoluto feli-
citer curriculo academico, gratulor de honoribus, ex
omnium bonorum consensu TIBI dignissimo collatis,
gratulor patriae de civae doctissimo, ac tandem de egre-
gio diligentiae & scientiae specimine, ex quo decus &
honor certissime TE manebunt. Deum T. O. M. in-
super veneror, ut iter longinquum quod meditaris, in-
gressu & egressu felix esse jubeat, potentique sua manu,
TE tuosque comites tueatur clementissime, ut emensis
tam multis locorum nationumque intervallis, patriam
cha-

charissimam sospes saluusque salutare queas; Ipse be-
nedicat coeptis Tuis in solatium multorum suscipiendis
vitaeque Tuae filium ad Nestoreos deducat annos; que
singula ut ex voto eveniant, animitus opto precorque,
sed & ut nostri recordationem perpetuam esse sinas, et-
iam atque etiam contendo. In Academia Friderici-
ana Halensi A. O. R. MDCC XXXII.
d. VI. Maj.




Vir Magne amico carmine gratulor
De lauro adepta non sine gloria;
Virtute nam parata est corona
Quam Tibi jam parat alma Pallas.

Te jure natum dico Machaonis
Es cultor almi verus Appollinis
Nam tradis artis fulcra vera
Arte Machaonia celebris.
Vivas beatus, vive Vir optime
Doce quid arti desit, & addito,
Augeto laudes, quas solemniter
Accipis in populi corona.

*Hec Amico Suavissimo gratulabundus
adjecit*

Jac. Hutter.



GROSSI, jam doctas alacris conscende cathedras,
Quas TIBI jam patulas alma Salana facit.
Illic expones, quas TV mercatus in oris
Teutonicis doctas esque secutus opes.
Adstant en sociæ, quas fas coluisse putabas,
Pierides, præbent laurea ferta TIBI!
Ergo TIBI faustos successus adprecor, urque
Aegros soles, nunc mea vota volunt.

*Ita Dn. GROSSIO ad Doctorem in
medicina gradum aspiranti
bene ominatur ejus conterra-
neus.*

Samuel d. Drauth,

Corona-Transilvanus
Med. Cult.

X


GROS-

GROSSIVS ecce tuus Pallas sacra templa frequentat,
Quæ semper docta voce piaque sonant.
Firma doces claras Medicinæ principia; ergo
Sacra jam cingas tempore fronde sua.
Necte igitur meritam, meritam, rogo, nec te coronam;
Ut quæ promeruit dona superba ferat.
Nos ipsam sequimur latisque adplausibus illum
Excipimus. Vigeat GROSSIVS! idque diu.

*Clarissimo Domino Doctorando Amico
longe æstumatissimo memoria ergo
adjicere voluit.*

Andreas Soterius C. T.

Med. Cult.



Magna latent, præclara latent, ratione latente
In minimis, minimis magna latere solent.
Felix qui minimis studet hinc ut magna sequatur,
Felix qui binis cum ratione studet.
Nomine qui Magnus, qui magnus in arte medendi,
Omnia contemnis, quæ ratione carent.
Machina quid nostri sit corporis, arte repandis,
Novisti motus, principiumque movens.
Sic vi virtutis tandem transitur ad astra,
Nam solet ex magnis, gloria magna dari.
Accipe quæ facilis concedit præmia virtus
Laurea TE cingit, laurea digna viro
TE nunc Doctorem fortuna secunda reducet,
Ad natale solum, sollicitosque focos-
Hujus TV morbos, medicamine pelle, repelle
Causarum seriem ne mala fata ruant:
Sic TE felicem censebunt sæcula nostra,
Atque TVAS laudes; tempora cana canent.
Non TIBI verba dabo, verbum sub pectore natum
Dicere sufficiat: Nomen & omen habes.


Nomen

Nomen & omen habes. TE Magnum nomine, magnum
Omine dicemus : Nomen & omen habes.

*Ex pio gratulabundoque animi affectu leves
hos elegos impetrandis honoribus Cla-
rissimi Doctissimiq; Dn. Candidati ad-
dere aque debitoque censuit*

Joannes Schnell,

Transilvano-Bartzensis Philos. Cult.



A Alta Notat Dubio Rumpens Ex Agmine Sermo.
(Axioma.)

Legibus ex multis Machina certa TIBI.
(per demonstr. Dissert.) E.

Curas Alta, Regens O! Lites Vsque Subortas

Quid curas? nexus; Machina suadet opus.


Grandia Rumpit Opus Soluens Systemata. Ergo

Virtus Ibi Vires Accumulata Tener.

*Hec in laudem Experientissimo ac Nobilissimo
Dn. Candidato Amico aeternum aestimando
adjicere voluit, & debuit.*

Joann. Walaskay.

Medic. Stud.



MADRIGALLON.

So wird Geschicklichkeit belohnt
Wenn die Natur, das Glück, die Kunst, das ihre thun
Und ihrem Sohn favorisiren
Ihn über alle Unglücks-Klippen führen;
Wenn Sie nicht eher ruhn,
Als bis Sie Ihn recht angewöhnet,
Dass Er freywillig nach der Ehre strebet,
Die die Geschicklichkeit verspricht; Und

Und sich nur dahin rieht,
Wo Tugend in der Mitten schwebet:
Du, mein Geehrter Freund, bist nun das Studium gelaufen,
Worinn die Künste ihre Waaren
Zu Märkte fahren,
Wo Lehr-Begierige die Wissenschaften kaufen.
Kein Wunder ist's demnach, wenn Du das Ziel erreichst
Und unter Uns als Deinen Freunden
Gleich einem Diamanten gleichst.
Drum gratulire ich,
Da ich Dich
Der längstverdiente DOCTOR - Zur,
Und der Hygeen Lorber-Cranz beziehet.
Ich wünsche Dir bey dieser Probe
Zu Deinem wohl-verdienten Lobe
Bey der Defension
Von Deiner Dissertation
Necht unerschrocknen Muth.

Hiermit wolte dem Herrn Doctorando zu ber erlangten Doctor-
Würde sein geneigtes Andencken gratulirend an Tag legen/
desselben allezeit aufrichtiger Landsmann

Jo. Michael Adami,

S. S. Theol & Philol. St. Sabelo-Tranilvanus.

Sei Glück! zu Cranz und Hut, hochwerthgeschätzter Freund/
Dein Glücks-Stern welcher Dir, wohl jetzt am höchsten scheint,
Befiehl mir auch Dein Fest, nach Würden zu bekrönen,
Und jetzt ein Stoß-Gebeth vom Pindus abzulehnen.

Die Wahrheit brauch' zwar nicht, ein aufgestecktes Licht,
Und da Dir selbst Dein Fleiß, die grünen Lorber bricht,
So dürffte wohl mein Kiel, nicht erst Dein Lob besingen
Und meine Schuldigkeit dadurch ihr Opfer bringen.


Ich seh es schon zuvor, wie Euch und Fieber zittern/
Weil sie an Deiner Kunst, den stärksten Gegner wittern/
Was wirst Du nicht alldort, trifft Wunsch und Vorsicht ein
Vor vieler Kranken Arzt, in Qual und Schmerzen seyn.
Drum will indessen hier, von größrem Ruhme schweigen,
Die Proben wird Dein Fleiß schon bey der Nachwelt zeigen.

Dies ist die Pflicht, welche dem Herrn Doctorando zahlen mußte,
ein dessen ergebenster Lands-Mann

Samuel Klein, SS. Theol. Cult







DISSERTATIONEM PHILOSOPHICO-MEDICAM
IN AVGVRALEM
METHODO SCIENTIFICA CONSCRIPTAM
QVA SISTITVR
VERVM VNIVERSÆ MEDI-
CINÆ PRINCIPIVM
IN STRUCTVRA CORPORIS
HVMANI MECHANICA
REPERIVNDVM

DIVINA ADSISTENTE GRATIA
JVSSV ET AVTHORITATE GRATIOSÆ
IN
ALMA FRIDERICIANA
VNIVERSITATE
FACVLTATIS MEDICÆ
PRO GRADV DOCTORIS
HONORIBVS ET PRIVILEGIIS LEGITIME CAPESSENDIS
PVBLICO ET PLACIDO EXAMINI
SVBMITTIT

ANDREAS CAROLVS GROSSE

CIBINIO - TRANSILVANVS

Ad diem Maji MDCCXXXII.

H. L. C.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Typis IO. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.